

De Rirgin.
c. IX.

ut ad contrarium suscipiendum aut nunquam aut difficul-
ter admodum adducatur. Accurate in hanc rem differit
Gregorius Nyssenus; In omni re difficilis est qua expugnetur con-
suetudo, quoniam cum multam ad attrahendum in se animum affi-
ciendumque vim obtineat, tum in eo valet, ut aliquam honesti opi-
nionem afferat; nam si quis ex consuetudine usuque habitum &
aliquam animi affectionem sibi comparavit, nihil vel ipsa natura
sic fugiendum est, quod si in consuetudinem abierit non omni studio
dignum expetendumque videatur. Ita laboris res erat eximii-
que consilii, eximi Judæis præceptam & consuetudine adeo
diuturna robustissimam de abstinentia sanguinis senten-
tiam, ut Apostoli inde peculiari instructione gentibus oc-
currerent, quibus facilius erat de jure tantisper aliquid re-
mittere, quam Judæis contra inveteratam nauseam agere.
Valent hic Nazianzeni verba; DEUS Pædagogi cujusdam &
medici more Patrios Judæorum ritus partim subtrahit, partim
concescit, non nihil eorum videlicet voluptati indulgens, quemad-
modum medici egrotantibus, ut medicamentum suavioribus rebus
arte temperatum & edulcatum admittant, neque autem facile est
ab iis quæ longo usu & diuturno tempore in honore ac pretio fue-
rant transilire ad alia. Victo autem fastidio Judæorum, ha-
bita imbecillitatis illorum ratione, jam libertas ciborum
non solum inculcabatur, sed sanguinis etiam usus com-
mendandus erat extra actum sanctum, qui sub præcepto &
propositione mediæ æternæ salutari intra eundem tam
sanctæ dabatur, ne fastidiret fides, quod appetitus naturalis
inductum consuetudine & sub mandato nausearet. Se-
cernitur igitur hac nota Christianus a Judæo; Hic sangvi-
nis osor, is amator est; hic naturæ humanæ adversum ex-
istimat, ille congruum ut carnem ipsam; hic pro piaculo
habet sanguine vesci; ille sanguinem bibere & pro animæ
& corporis habet lavacro. Capernaïtæ Job. VI. averfaban-
tur ideo etiam sermonem Christi & incessabant calumniis,
quod barbarici simile & judæorum auribus adversissimum
crederent, cruorem bibere & humana carne vesci; sed re-
plicabat Servator, & necessitatem cibi illius potusque san-
guinei

Orat. 37.